

obseruandæ per indicem illum siue Kyliudrium è centro cadenti-  
 tes, adhibita re quapiã circa subiectam quadrantis circumferen-  
 tiam: ut locus umbræ certius teneatur, & adnotabimus quàm  
 accuratissime medium umbræ in partibus & scrupulis. Nam si  
 hoc fecerimus, circumferentia quæ inter duas umbras signata,  
 Solsticialem & Brumalem inuenta fuerit, tropicorum distanti-  
 am, ac totam signiferi obliquitatem nobis ostendet, cuius acce-  
 pto dimidio, habebimus, quantum ipsi tropici ab æquinoctiali  
 distant, & quantus sit angulus inclinationis æquinoctialis ad  
 eum, qui per medium signorum est circulus, fiet manifestum.  
 Ptolemæus igitur interuallum hoc, quod inter iam dictos limi-  
 tes est Boreum & Austrinum depræhendit partium 47. scrup.  
 primorum 42. secundorum 40. quarum est circulus 360.  
 prout etiam ante se ab Hypparcho & Eratosthene reperit ob-  
 seruatum: suntq; partes 11. quarum totus circulus fuerit 83.  
 & exinde dimidia differentia, quæ partium est 23. scrup. pri-  
 morum 51. secundorum 20. conuincebat tropicorum ab æqui-  
 noctiali circulo distantiam, quibus circulus est partium 360.  
 & angulum sectionis cum signifero. Existimauit igitur Ptole-  
 mæus inuariabiliter sic se habere, & permansurum semper. Ve-  
 rum ab eo tempore inueniuntur hæ continue decreuisse ad nos  
 usq;. Reperta est enim iam à nobis & alijs quibusdam coëta-  
 neis nostris distantia tropicorum partium esse non amplius  
 46. & scrup. primorum 58. ferè, & angulus sectionis partium 23.  
 scrup. 28. & duarum quintarum unius, ut satis iam pateat mo-  
 bilem esse etiam signiferi obliquationem, de qua plura inferius,  
 ubi etiam ostendemus coniectura satis probabili, nunquam ma-  
 iorem fuisse partibus 23. scrup. 52. nec unquam minorem futu-  
 ram part. 23. scrup. 28.

De circumferentijs & angulis secantium sese circulorũ, æquino-  
 ctialis, signiferi, & meridiani, è quibus est declinatio & ascen-  
 sio recta, deq; eorum supputatione. Cap. III.



Quid igitur de Finitore dicebamus ab ipso oriri &  
 occidere mundi partes, hoc apud circulum meridia-  
 h num